

enigmata q̄si in hac terra inveni.

par. s̄ nō potat p̄fic̄ intm̄



Freiherr v. Ende-Mitjeswitz.



II.

DISPUTATIO,
AD L. NATURALIS,
DE PRÆSCRIPTIS VER-
bis, & in factum actionibus.

Quam

A.C.

PRÆSIDE

Clarissimo ac Consultissimo Viro
"Philosophiæ et I. U. D.
Dn. IOHANNES CURTIO, "Professore
publico, & facultatis Juridicæ
assessore

Defendet in illustri Lipsensium Academia

Ad diem 27. Iunij

IOHANNES à DISKAU Nobil. Misnic.

Imprimebat Christophorus Bismarcus, Anno 1612.



*Magnificis, Nobilissimis, omniq; sapientia, doctrina ac virtu-
tum laude eminentissimis Viris*

**Dn. RVDOLPHO à BÛNAV IN ELSTER-
berg, &c. Sereniss. ac Potentiss. Electoris atq; Ducum Sa-
xonix, Julix, Clivix ac Montium &c. Con-
siliario præcipuo**

**Dn. CAROLO à DISKAU in Großschocher
& Windorff.**

**Dn. HIERONYMO à DISKAU IN DISKAU,
Queis, Canchn & Bōndorff &c. Illustriss. atque Celsissim.
Electoris Brandenburgici, Ducis Borussia, Ju-
lix, Clivix ac Montium, &c. Consi-
liario intimo**

Dn. HIERONYMO à DISKAU in Locharw/

Dominis, Patronis, affini, patruis & patrueli aternum colendis

disceptati unculam hanc debitæ observan-
tiæ tesseram offert

Johannes à Diskau Resp.



I.

Ex naturalis jam dudum sui difficultate nobilitata est, de cuius intellectu dicturi, generalia quædam præmittemus, quæ sequentibus viam munient.

Da. hanc legem tanquam totius ff. veteris difficilissimam & utilissimam commendant, legendumq; est in Bartolo, non ut Jasonis & Fulgosij exemplar habuit, faciliorem, sed ut habuit Curtij difficiliorem, qua lectio etiam jam reperitur in probatoribus Bartoli editionibus. Paulus de Castro dicit eam esse summè subtilem, sibiq; semper visam difficilem Jason asserit.

II.

Conventio omnis vel nuda est, vel causam præter conventionem habet.

l. 7. §. 2. & 4. l. divisionis placitum. ff. de pact. l. 1. §. 2. de rer. permut. l. solent. 15. de P. V. l. 20. C. de pact. l. 3. C. de rer. permutat.

III.

Quæ nuda est, consistit vel in generali conventionis nomine, vel eo relicto, speciale nomen assumit.

l. 1. §. 4. l. 7. §. 1. & 2. ff. de pact. Glossographi & Donell. ad l. 10. C. de pact. conventiones nominatas consensu constantes nudas effengant, eo, quod nomen habeant, sed falluntur: nomen enim non est causa obligationis in conventionibus nudis nominatis, sed utilitas publica. Nudæ vocantur ex causa, datione scilicet aut facto, quam

A 2

ad sui

ad sui perfectionem non requirunt, cum in ijs nudo consensu obligatio constituatur. Et hoc est, quod Paulus dicit in l. 1. §. 2. de rer. permut. Emissionem, venditionem nudam consentientium voluntate contrahi, permutationem autem ex re tradita initium obligationi praeberere. Item: Nudo consensu obligationem constitui in his conventionibus, quae nomen suum habent. Dissent. etiam Connan. lib. 5. comm. jur. civil. cap. 2. Aliter Forsterus de pact. cap. 4. membr. 2. qui has conventiones ideò nudas esse negat, quòd non solo consensu nudoq; sed tali, qui commercium, negotium vè complectatur, perficiantur, vide Goedd. de contrah. stipulat. cap. 1. n. 33. & 36.

IV.

Priori modo vocatur conventio nuda, pactum conventum, pactum iustum, pactum nudum, non quod ei opponatur vestitum, sed quod nuda pactio- nis æquitate constet, nec $\sigma\upsilon\nu\acute{\epsilon}\delta\delta\alpha\gamma\mu\alpha$ contineat, unde civilis oriatur actio.

l. 1. §. 1. §. 2. l. 7. §. 4. §. 5. §. 6. §. 7. l. 17. §. 5. l. 27. §. 2. §. 4. §. 5. §. 6. l. 28. l. 30. l. 45. & tot. tit. ff. de pact. l. solent. 15. ff. de P. V. l. 10. C. de pact. l. 3. C. de rer. permutat. l. si tibi. C. de locat. & cond. l. si divisione. C. famil. her. cisc. Cujac. lib. 2. observ. cap. 15. & in recit. solen. ad l. naturalis. de P. V. ubi eleganter definit, pactum nudum conventionem, quae proprium & legitimum nomen non habet, & quae intra verba sola primumq; promissum stetit, nec dum datione vel factò, vel stipulatione sum sit effectum. Glossographi & Dd. nudo pacto opponunt vestitum: & ex recentioribus quidem Ladius ad tit. ff. de pact. octo pactorum vestimenta enumerat, Rem, consensum, verba coherentiam contractus, literas, rei interventum, executionis principium, & legis auxilium. Sed hanc pacti vestiti appellationem ut absurdam & barbaram rectè reprehendunt Duar. ad tit. de pact. & Do-

30
& Donell. 12. comm. II. & ad l. 10. C. de pact. Coraf. i. miscellan. cap. 1. Nudum enim in jure dicitur, quod solum est, merum & purum, cui mixtum vel plenum potius opponatur, quemadmodum dicimus nudam proprietatem ad differentiam plena, nudam cautionem ad differentiam fidejussoria, Sic nuda voluntas, nuda cogitatio, nuda possessio, nuda indulgentia. l. 1. in fin. de testam. milit. l. 1. §. de rer. permutat. l. qui ad certum. 16. locat. conduct. l. si quis forte. 38. §. 2. ff. de verb. obligat. l. videamus. 19. ff. de usur. l. 1. ff. unde cognat. Cui absurde vestita opponatur. Förster. de pact. cap. 4. membr. 4.

Loriotus lib. 1. de apicib. jurit. de pact. axiom. 24. pactum nudum distinguit à pacto justo & à convento. Per justum intelligit legitimum conventum vocat adjectivum. Nudum denique dicit omne aliud pactum esse. Alciat. 4. paradox. c. 7. & in l. pacta novissima. C. h. tit. Pactum justum interpretatur de non nudo. Sed hac sunt à juris ratione aliena. Iustum enim vocamus non tantum legitimum, sed omne aliud pactum, quod non contra jus est, quemadmodum dicimus justam possessionem, justam uxorem, justam defensionem, justam libertatem. Coraf. d. in l. n. 7. Förster. de pact. cap. 2. q. 6. Pactum conventum excepto legitimo omne aliud recte nominamus. Ut enim quod legis habet assistentiam, legitimum, ita quod sine lege ex conventionem privatorum pendet, pactum conventum dici solet. Förster. de pact. cap. 2. q. 5. Forcatul. in cupid. juris perit. cap. 19. Donell. ad tit. C. de pact. n. 11. Robert. sent. jur. lib. 2. c. 19. Cicer. lib. 2. ad Herenn: Sunt item, inquit, pacta, quae sine legibus ex conventu observantur.

V.

Qua in parte vocabulum pacti pro specie contractibus opposita accipimus, interim non negantes & generis nomen illud esse, tamque late patere, quam

A 3

ipsam



ipsam conventionem, quemadmodum quoque usu
juris sæpè confunduntur.

*l. 1. §. 2. & §. 3. de pact. l. solent. 15. ff. de P. V. ubi conventionis nomen
cum pactione & pacto confunditur. l. 10. C. de pact. Ibi hoc jureu-
timur, cum pactum nudum est, Ergò diversum, cum nudum non
est. l. traditionib. C. eod. Vbi per nuda pacta Impp. intelligunt nu-
das conventiones, emtionem videlicet & venditionem & c. Nudas
scilicet & vacuas à traditione, siquidem opponuntur tantum tra-
ditionibus, vide Giphani. disp. de pact. t. h. 10. Donell. ad tit. C. de
pact. n. 3. & 4. Goedd. ad l. 19. n. 30. cum seqq. Hortens. ad l. pacta
conventa. de contrab. emt. Robert. 2. sentent. jur. cap. 19. Paulus
Bus. ad l. 1. n. 2. ff. de pact. Dissentit Cujac. ad l. 1. ff. de pact. & ejus
interpres Borcholt de pact. c. 1. n. 7. Duar. lib. 2. annivers. disp.
cap. 8. sed rectè sunt reprehensi ab Eguinario Barone & alijs.*

6.

Posteriori modo vocatur contractus nominatus
consensu constans, quorum quinque huc refero, em-
tionem, locationem, societatem, mandatum, Em-
phyteusin.

*Perficiuntur hi contractus solo consensu, nec ad sui perfectionem
rei interventum desiderant, unde emtio venditio nudà conven-
tione de re & precio, non ejus numeratione perfici dicitur. l. 2. de
contrab. emt. §. 1. Instit. de emt. & vendi. Nec obstat, quod Con-
nan. lib. 5. com. jur. civ. de societate affert, In ea bonorum fieri
quasi traditionem. l. 2. ff. pro socio. Nam ea quasi traditio seu ficta
potius intervenit in societate bonorum, non quoad ipsum societa-
tis contractum, sed quoad dominij communionem & translatio-
nem, qua sine traditione sive verà sive fictà fieri nequit inter pri-
vatos. l. traditionib. C. de pact. In Emphyteusi scripturam proba-
tionis*

tionis gratia requiri, concedimus, quâ de causâ etiam sæpè instru-
menti Emphyteutici mentio fit. tot. tit. C. de jur. Emphyteut. de ef-
sentia contractus esse negamus. Dissentit Bocer. ad l. contractus.
cap. 4. n. 9. de R. I. Fachin. l. 1. contr. v. 84. cum allegatis ibi sua sen-
tentia patronis.

VII.

Hæ enim conventiones, quia ad Rempub. conti-
nendam magis necessariae viæ fuerunt, receptæ à Ro-
manis, & ad agendum habilitatæ, etsi præter conven-
tionem nihil datum vel factum fuerit: reliquæ verò
extra rem & factum aut stipulationem honestæ cu-
jusq; voluntati, religioni & fidei sine ullâ agendi vi re-
lictæ sunt. Prætor tamen æquitate motus eas tuetur
dando exceptionem.

*Ratio cur hæ conventiones ex nudo consensu actionem pariant,
non est posita ipso in nomine, ut falso putavit Iason & Glossogra-
phi, sed quòd præter ceteras ad vitam & commercium hominum
sint necessariae magisq; frequentes. Reliquas conventiones Roma-
ni cujusq; honestati reliquerunt, ne lites immodicè crescerent.
Duar. ad l. 7. de pact. & de constit. pecun. cap. 1. & de condict. caus.
dat. cap. 4.*

*Connanus. lib. 2. c. 5. & 6. Donell. ad l. 10. num. 21. C. de pact. affe-
runt alias rationes, partim ex periculo rei familiaris, partim ex
virtute, ad quam colendam homines ita melius excitentur, de-
sumtas, tum etiam ex promittendi facilitate, quæ à dandi vo-
luntate multum sæpè absit. Sed hæ rationes naturales potius sunt,
quàm civiles, omnes tamen veræ. Aliter Cujac. ad l. 1. de pact.*

*Prætor æquitatem naturalem secutus, quæ vult ut fides servetur.
l. 1. de pact. l. 1. de constit. pecun. hæ conventiones servat ac tuetur
eâ ratio-*

ea ratione, quā potest, nempe exceptione, quod est remedium Praetorium. Actione autem cur eas non tueatur, ratio haec est: Ne faciat contra jus civile, cuius est minister. l. scio. 14. de testib. l. 8. de just. & jur. Quo jure civili ex pactis non datur actio. l. 7. §. 4. de pact: Nam eo jure pacta nuda non approbata sunt, Et hoc est, quod dicitur, in pactis factum versari, in stipulationibus jus contineri. l. si unus. §. pactus ne peteret. ff. de pact. In pactis enim nudum factum versatur, hoc est, actus ipse paciscendi: Jus civile autem non versatur, quoniam hic actus jure civili non est receptus ad tollendam vel constituendam obligationem: secus est in stipulatione, quae licet facti sit, si actum stipulandi consideramus: jus tamen continet, cum à jure civili recepta sit, & obligationem producat, quae juris vinculum est. Dn. Jacob. Schult. in quest. suis. q. 51. num. 19. cum seqq. Matth. Coler. ad Rubr. de exception. num. 9. Paulus Buf. ad d. l. si unus. 27. §. pactus ne peteret. num. 1. & 2.

VIII.

Planè ex his quaedam etiam actionem producunt, non quidem vi sua, sed propter legis assistentiam, vel contractus cohaerentiam, quae propterea nuda pacta esse non desinunt: Et hoc est, quod dicitur, interdum ex pacto nasci actionem, & nudam pactionem parere obligationem.

l. 6. & 7. §. 4. & 5. ff. de pact. l. in bona fidei. C. de pact. Hortens. ad l. pacta conventa. de contrah. emtion. putat legem, quā pactum ad actionem confirmatur vel consinium contractus, sic enim loquitur, esse pacti velamentum, quo desinat esse nudum, & migret in meliorem naturam. Idem etiam putat Dn. Reiner. Bachofius lib. disput. miscell. cap. 11. ubi pacta L. L. confirmata propter legis assistentiam nuda negat, Et cap. 8. ubi pacta in ipsis contractibus facta

facta vestita vocat, eò, quod sint pars contractus, quæ sententia etiam fuit Lorienti & Glossographor. Sed hæc omnia juris rationi repugnant: Pactum enim nudum vocatur respectu cause, dationis scilicet & facti; vel stipulationis, quorum neutrum in pactis legitimis reperitur, Bocer. ad l. contractus. cap. 1. num. 7. Arumæus. disput. P. 3. thes. 5. Pacta statim facta etsi quodammodo pars contractus habeantur, quia tamen sine ijs contractus substantia consistit, per se considerari possunt & solent, ut & hac de causa rectè nuda dicantur. Aliter Donell. ad l. 10. num. 13. C. de pact. & ad l. bona fidei. C. eod.

Pactorum legitimorum duo ex constitutionibus occurrunt, Pactum dotis & donationis. l. ad exactionem. 6. C. de dot. promiss. l. si quis argentum. 35. §. 5. C. de donat. Pactum dotis Connan. eumq; secuti, Donell. ad l. 10. C. de pact. num. 11. Arum. disp. 15. thes. 10. nudum esse negant, & ad articulum facio ut des referendū censent, eò quòd insit negotium civile, ipsa videlicet nuptiarum contractio. Malè, ut opinor, sic enim sequeretur in omni ferè conditionali conventionem negotium subesse; Cui accedit, quod actio P. V. ex contractu facio ut des competens detur ad interesse, sed dos ut plurimum conditione certi exigitur. argumento. l. 1. C. de dot. promiss. Ex jure Prætorio tria occurrunt pacta, quæ actionem pariaris civilis, minister sit, quo iure, ut dictum est, ex pacto actio non datur: in his tribus tamen summâ, æquitate & singulari favore inductus actionem dedit. Ex constituto quidem tum propter verbum constituendi; tum quia principali debito nititur. l. 1. per tot. de Constit. pecun. Eadem ferè & hypotheca & iurisiurandi est ratio: planè in hoc etiam religio movit Prætozem. l. 1. de pign. act. l. 4. de pignor. §. 8. Instit. de action. l. si tibi decem. 17. §. 2. de pact. l. 1. 7. 25. ff. de iureiurand.

Pacta aïdecta contractibus bona fidei actionem contractus formant,

B

mant,

mant, ut non juxta naturam contractus, sed secundum legem & formam pactionis instituat. l. 7. §. 5. ff. de pact. Sed hoc sic accipiendum est, ut siquidem ex continenti subsequuta sunt etiam ex parte actoris: Ex intervallo verò ex parte rei tantum locum habeant, hoc est exceptionem pariant, nisi re integra circa substantialia, contractus interponantur, tunc enim quia contractum reformant, mutant, etiam ex intervallo facta, prosunt tam ad agendum, quam ad excipiendum. l. 7. §. 5. ff. de pact. l. ab emtione. §. 8. ff. eod. l. pacta conventa. ff. de contrab. emt. l. 2 & 3. de rescind. vendit. Quod tamen de contractibus consensu constantibus accipiendum est, qui hac in re aliquid speciale habent. In alijs licet etiam bonæ fidei non item procedit. Quia in ijs non est res integra, semper enim aliquid præter consensum habent. d. l. 7. §. 6. l. ab emtione. l. pacta conventa. l. 2. & 3. de rescind. vendit. Giphian. ad l. 7. §. adeo. 6. ff. h. t. Reiner. Bachofius. lib. disp. miscell. cap. 8. Ratio autem, quare pacta in continenti facta insint, ex parte actoris ex intervallo non item nisi sint de substantia, est; Quia illa propter conjunctionem & vicinitatem ipsius contractus quodammodo partes esse videntur, & proinde actionem pariunt: hæc verò propter remotionem non possunt contractus jam ante perfecti & constituti partes videri, & proinde veram pactorum naturam retinent, quæ est parere exceptionem. Sed queritur hic: an ut pacta statim apposita contractibus bonæ fidei ita etiam stricti juris insint ex parte actoris? Affirmant Accurs. & eum secuti Glossographi ad l. bonæ fidei. C. h. t. Idem probatur Costatio ad l. 40. §. cert. petat. Ibidem Duareno, Contio lib. 1. disp. jur. civ. cap. ult. Hottoman. illust. q. 36; Gœdd. de contrab. stipulat. cap. 8. num. 37. Forster. de pact. cap. 8. part. 2. memb. 1. Negant Cuiac. ad l. 7. §. 5. ff. hic. & lib. 10. observ. c. 24. Donell. ad l. in bonæ fidei. & ad l. 135. de verb. obligat. Giphian. ad d. l. 7. §. 1. h. t. Quorum sententiam secundum juris rationem veriozem putamus.

Causam.

IX.

Causam præter conventionem habent illæ con-
ventiones, quæ ad sui perfectionem Rem, factum, &
verba desiderant.

*l. 7. §. 2. l. divisionis placitum. l. in traditionibus. de pact. l. solent. de
P. V. l. ex placito. 3. C. de rer. permut.*

X.

Verbis contenta est stipulatio : Rem desiderant
contractus nominati, mutuum commodatum, de-
positum, pignus : Tam rem quàm factum contractus
innominati, quos Paulus in d. l. naturalis beneficio
manumissionis ad quatuor articulos redigit : Aut e-
nim do ut des, aut do ut facias, aut facio ut des, aut fa-
cio ut facias.

*tot. tit. Instit. & ff. de V. obligat. & tot. tit. ff. de reb. credit. Comm.
Deposit. & Pign. action. Scripturam huc non refero, cum illa pro-
priè contractus novam speciem non constituat. secutus Cajum in
l. 1. ff. de obligat. & action. & Ulpian. in l. Gracè. 8. §. 1. ff. de fidejuss.
& l. certi. 9. §. 3. ff. si cert. petat. Nec est, quod quis nobis obijciat ob-
ligationem literarum Iustinianeam. Et si enim ibi genere quodam
obligari videamur : verè tamen & in effectum hæc obligatio ex re
ipsa potius & præsumto mutuo descendit, cui probando literæ in-
serviunt, inducentes præsumptionem contra scribentem biennij
lapsu, iuris autoritate ita roboratam, ut postea debitor ne quidem
cum onere probandi eam elidere possit. Instit. de liter. obligat. l. 8. 9.
14. §. 4. C. de non numer. pecun. Habet enim creditor pro se præ-
sumptionem iuris & de iure, quæ non admittit probationem in con-
trarium. Menoch. lib. 1. præsumt. q. 61. num. 3. Probatur hæc sen-
tentia expressè per l. 3. & 5. ubi quasi credita pecunia petitur. l. si q.
B 2 acceptu-*

accepturi mutuam pec. C. de num. pec. Accedit, quod excepti, quae contra hanc obligationem opponitur, non scripturam sed numerationem impugnat l. 3. Et it. tit. C. de non numer. pecun. Infringit autem omnis peremptoria exceptio fundamentum actionis & obligationis. Henric. Heidec. de P. V. th. 2. Rein. Bachof. in lib. miscell. disput. c. 5.

XI.

Et si quidem pecuniam do, ut rem accipiam, emtio venditio est; si autem rem do, ut rem accipiam, quia non placet rerum permutationem emtionem esse, dubium non est, nasci civilem actionem in factum ad id, quod interest, vel ad repetendam conditionem. Nihil ergo differt permutatio à do ut des.

In multis emtio, & do ut des differunt: In emtione venditione aliud est pretium, aliud merx, alius venditor, alius emtor: In permutatione discerni nequit, quis sit emtor, quis venditor, quid pretium, quid merx: uterq; videtur esse emtor & venditor, utrumq; videtur esse pretium & merx. l. 1. de contrah. emtion. l. 1. de rer. permutat. Emtio venditio nudo consensu perficitur, ex eoq; obligationem producit: permutatio ex re tradita initium obligationi prabet. l. 1. §. 2. de rer. permutat. Nudum permutationis placitum non parit actionem. l. 3. C. de rer. permutat. Emtor tenetur nummos facere accipientis. l. ex emto. §. 1. de action. emt. venditor rem dare non cogitur, satis est, si tradat possessionem, & caveat evictionis nomine. l. ex emto. §. 2. l. servus, quem §. ult. de action. emt. l. clavibus. l. rem alienam. de contrah. emt. Sichard. ad l. 1. n. 4. C. de rer. permutat. Anton. Faber. lib. 6. conject. cap. 9. Cuiac. 23. observ. 29. Secus est in permutatione, ubi ex utraq; parte datio requiritur. Nullam enim contrahit permutationem, inquit Pedius, qui tradit rem alienam. l. 1. §. ideoq; 3. ff. de rer. permutat. quæ ratio

ratio est, quare rem alienam tradenti non praescript. verb. actio ^{condictio tantum,}
competat d. l. i. §. 4. Cujac. lib. 23. observ. 28. & in recitation. ^{alter nolit tradere}
solennib. de praescript. verb. Wesenb. in parat. hic. n. 3. Sihar-
dus d. in l. n. 5. Dissentit Heinr. Heid. de praescr. verb. th. 18. per
l. i. vers. in permutatione, ibi: si merx neutrius. de rer. permut. qua
verba accipit assertive contra mentem Pauli, qui ibi tantum ex
praestationum diversitate permutationis & emtionis differentiam
eruit, & contra sentientes ab absurdo refutat, ut hoc recte expedi-
vit felix Fabri ingenium lib. 6. coniect. 9. Wesenb. in paratit. hic.
num. 4. & 5.

Sed quid si pecuniam tibi dedi, ut Stichum mihi dares, utrum id
contractus genus pro portione emtionis venditionis est, an nulla
hic alia obligatio, quam ob rem dati, re non secuta? in quod
proclivior sum, inquit Celsus: Nam id egerant contrahentes, ut
Stichus daretur, quod emtioni venditioni repugnat, & pecunia
data erat non quasi pretium Stichi emendi animo, sed quasi res
aut corpus, Et ideo Stichus tuo est periculo, eoq; mortuo pecuniam
repetere possum. l. fin. de condict. ob caus. dat. Imò meo est peri-
culo, inquit Paulus in l. 5. §. 2. vers. Sed si Scyphos. de praescript.
verb. & tu culpam duntaxat praestas. Difficile est, Paulum ex
sententia Dd. de emtione intelligere, cum non placeat rerum per-
mutationem emtionem esse. Durum quoq; est, Celsum ex Cabo-
tij sententia de servo alieno dato intelligere: Renituntur enim
verba final. d. l. fin. Finge alienum, qua diversam à priori sugge-
runt sententiam. Cabot. lib. 2. disput. cap. 29. Hortensius ad l. na-
turalis. Paulum de permutatione, Celsum verò de nuda ob rem
datione accipit, qua sola naturali ratione nitatur, nec civile ne-
gotium in se habeat. Sed hujus sententiam facilius est refutare
quam meliorem invenire. Quippe id egerant contrahentes, ut
Stichus daretur, & ille pecuniae datione initium obligationi pra-
bebat, adeò, ut hic negotium versetur, unde civilis, ut Aristote-

spondebat, oriatur obligatio. Corasius lib. 2. miscell. 9. Celsum in eo casu intelligit, ubi culpa precessit casum, sed loquitur ex ficto presupposito. Nobis placet distinctio Cujacij existimantis, perire mihi quidem Stichum, quod ad prescript. verb. actionem attinet, adeoq; non posse me agere, vel ad implementum vel ad interesse: non perire verò pecuniam vel scyphos. argument. l. si fundus. 33. ff. locat. Nam quoniam pœnitere possum, antequam ullius rei datione me tibi obligasti, condicam rem meam quasi ob causam datam, causa non secuta. Cujac. lib. 23. observ. 29. vide etiam Duaren. ad tit. de condict. causa dat. cap. 4. Wesenb. in parat. de prescript. verb. n. 3. Aliter Anton. Faber. lib. 6. conj. 10.

De permutatione an differat à contractu do ut des, iuris est controversi? Nos eam differre negavimus secuti Paulum d. l. 5 §. 1. qui hæc duo vocabula confundit, & quod modò vocavit do ut des. statim vocat permutationem. Vaud. lib. 1. variar. quæstion. 25. Coras. 2. Miscell. cap. 15. Cuiac. ad l. 5. hic. Connan. 7. comm. iur. civ. cap. 15. Pinell. ad rubr. C. de rescind. vendit. part. 1. c. 3. num. 15. Anton. de Padil. ad hanc legem. §. & si quidem. n. 9. Paul. Bus. in comment. ad l. hanc. §. 1. Dissentit Accurs. cumq; secuti Bartol. & Jason ad l. 2. de reb. credit. qui permutationem esse dicunt, si res eiusdem generis sive speciei, do ut des, si diversi generis dantur, sed rectè reprehenduntur à Vaud. & Corras. d. in loc. Aliter Wesenb. in parat. hic. n. 10. Aliter Anton. Faber lib. 6. coniect. 9, qui do ut des non permutationem, sed principium permutationis, quæ re utring; datâ demum resultet, esse putat. Idem ferè statuit Amylius Ferret. ad l. iuris gentium. n. 17. de pact.

XII.

Articulus do ut facias, magnam habet cum locatione affinitatem: In multis tamen ab ea differt: nam si tale sit factum, quod locari solet, puta ut tabulam pingas, pecunia data locatio erit, si res, non erit locatio,

tio, sed nascetur vel actio civilis ad id, quod interest,
vel dati repetitio.

Opera sive factum pictoris tale est, quod locari possit certâ pecuniâ.
Et ideò ex hoc negotio nascitur proprij nominis actio non præ-
script. verb. Cuiac. in recit. solen. ad l. naturalis. Quod si factum
non sit mercenarium, vel merces in pecunia non consistat, præ-
script. verb. agendum est, veluti, cum quid datum est, ut servus
manumittatur, vel ut filius emancipetur. l. 5. §. 2. l. 7. de præscript.
verb. l. 1. de condict. caus. dat. Hottom. in coniect. de præscript.
verb. Exinde tamen non rectè infertur: locationem pecuniæ nu-
meratæ tantum dationem requirere, nec aliam rem fungibilem
admittere: nam pecuniæ vocabulum non ad numeratam solam
pecuniam restringendum, sed pro quantitate accipiendum est,
quemadmodum accipitur in l. talis scriptura. 30. ff. de legat. 1. Gon-
firmat hanc sententiam l. exceptio. 18. & l. olei. C. locati. l. & hæc
distinctio. 35. in fin. ff. eod. l. si merces. 25. §. vis maior. 6. ff. locat.
§. adeo. Instit. de locat. & conduct. Coras. lib. 2. miscell. cap. 11.
Cujac. tract. ad African. 8. in explicatione l. & hæc distinctio.
35. §. cum fundum. ff. locat. Wesenb. in parat. de locat. & con-
dict. n. 17. Ferd. Vasq. lib. 3. controu. cap. 53. Bocet. ad l. con-
tractus. cap. 4. n. 9. Dissentiunt Arumæus disp. pand. 13. thes. 9.
Gomes. lib. 2. var. resolut. cap. 3. n. 3. Donell. lib. 13. comm. cap.
6. Fachin. 1. controu. 82. Mozz. de locat. col. 2. n. 14. Alvar. Va-
lasc. tract. de jur. Emphyteut. quæst. 20. n. 50. Heidec. ad l. 5. de
præscript. verb. th. 22. Aliter Gregor. Lopez. animad. 15. qui
enatas Dd. opiniones contrarias per distinctionem inter locatio-
nem faciendi & fruendi ad concordiam reducere tentat.

Constitutio Divi Marci & Commodi ad Aufidium Victo-
rinum an etiam ad hunc articulum de ut facias pertineat, non
levis est controversia. Negat id Cujac. ad l. 7. de pact. & dicit,

eans

eam tantum habere locum in venditione & donatione, sed affirmativa in puncto juris videtur esse verior, probariq; potest per l. si quis. 19. de manumiss. l. Paulus. 38. §. 1. de liber. caus. l. 7. de prescript. verb. l. 2. C. Si mancip. ita fuer. alien. l. 3. §. 2. de condict. caus. dat.

In interpretatione huius constitutionis valde se torquent interpretes propt. l. 5. §. 2. & l. 7. de prescript. verb. l. 2. C. si mancip. ita fuer. alien. l. si quis ab alio. 19. de manumiss. l. qui Romæ. 122. §. Flavius de verb. obligat. Sed rejectâ Alciati, Duareni & Donelli sententiâ nobis placet Cujac. 1. observ. 29. & 10. observ. 21. Giphanii ad d. l. qui Romæ. §. Flavius. n. 28. & in disput. ad d. l. qui Romæ. th. 26. Rævardi 1. varior. cap. 13. quem tamen in hoc, quod Scævola ante imperium Divi Marci & Commodi mortuum scribit, rectè reprehendit Cujac. Vixit enim non solum sub Imperio Marci, sed etiam eo defuncto sub Commodi dominatione libros suos Digestorum maxima ex parte conscripsit. l. Pamphilo. 39. ff. de legat. 3. l. scire. §. 2. vers. sed etsi. de excusat. vide etiam Hortensium ad l. naturalis. §. at cum do, & Heidec. ad eand. l. th. 23.

XIII.

Sed quid si Stichum tibi dedi, ut servum tuum manumitteres, & manumisisti, & is, quem dedi, evictus est, qualis dabitur actio? Iulianus in factum Prætoriam concedit, rectè ideò à Mauritiano reprehensus: Habet enim hæc conventio in se negotium, unde civilis oritur actio.

Iulianus in proposita facti specie actionem in factum prætoriam concedebat, si ignorans quis dederat, Postea de errore admonitus in factum civilem P. V. concessit l. 7. §. 2. de pact. l. 5. §. 2. versic. Sed si dedi de prescript. verb. Laudandum hoc est in veteribus

JCtis

Actis, quod ea, quae ab initio minus recte scripserant, postea me-
liori juris ratione & aliorum auctoritate inducti, saepe mutave-
rint. Variavit alibi Scaevola, Sententiam non semel mutavit
Papinianus Heidec. ad l. Naturalis th. 25. Dissentit Cujac.
qui in hoc casu, si dolus arguatur, de dolo, si non, in factum Pra-
toriam concedit, & veterem Juliani sententiam retinet: Ratio-
nem subjungit: Quia hic perpetuus sit actionum ordo, ut quo
casu in scientem datur de dolo actio eadem in ignorantem detur
actio in factum Praetoria non civilis, ut voluit Martianus. Sed
hoc recte improbat Contiis lib. disp. jur. civ. cap. 13. Non enim
is est ordo actionum, sed potius hic, ut si negotium sit tale, quod
speciem contractus habeat, competat semper civilis, nisi dolus in-
sit, quo casu de dolo datur, Si vero speciem delicti magis habeat,
quam contractus, detur actio de dolo, qui ordo patet ex l. solent. l.
permisisti. ff. de praescript. verb. l. 9. §. Labeo. 3. & tot. tit. ff. de
dol. mal. l. II. ff. de minor. Et Actio in factum praetoria eo in casu
proprie doli subsidiaria est, quo de dolo actio locum habuisset, nisi
personarum contemplatio, veluti si adversus parentem, patro-
num aut conjugem agatur, verbis temperandam esse actionem
suasisset, ut eleganter loquitur Ulpianus in l. II. §. I. de dol. mal.
l. si superstites. ibi: propter paternam verecundiam. C. de dol.
mal. Non etiam placet, quod Donell. ad tit. praescript. verb. ca. II.
hanc speciem ad contractum facio ut des refert. Nam hac ratione
sequeretur, facio ut des, & do ut facias, esse unum & idem, cum
tamen sint distincta species, quas nullam aliam nota distinguere possu-
mus, nisi dicamus, facio ut des substantiam ex facto do ut facias
ex datione capere, & nihil mutat naturam do ut facias, etsi tu
prius feceris ut ego darem: Nam non inspicimus eventum, sed
conventionem, non quis in implendo, sed quis in conveniendo or-
do servatus sit. l. 3. §. 4. de condict. caus. l. si procuratorem. 8. ibi:
uniuscujusque contractus initium spectandum & causam Man-
dati

C

dati

*dati. l. 1. §. idem Pomponius. Deposit. Cujac. in recit. solenn.
ad l. naturalis.*

XIV.

Facio ut des, & posteaquam feci cessas dare, qualis mihi detur actio, quæstio est de apicibus juris, ut magnus Ictus difficultate hujus rei perterritus exclamet, Ipsum Ictum Paulum, si revivisceret, hinc satis negotii inventurum esse.

Dynus in l. cum proponas. C. de dol. mal. qui dicit hujus disputationis veritatem & Tyronibus & Veteranis incognitam esse, subjiciens, Deus scit, quod in ea sint ignorantes, super qua omnes laborarunt. Sed veretur Jason hic, ne omnium labores hic facti sint irriti. Aliter Paulus de Castr. ad d. l. naturalis, §. at cum do.

XV.

Valet hinc ratio Mauritanii in l. 7. §. 2. de pact. Valet collectio Ulpiani in l. solent. de præscript. verb. Et tamen Paulus negat, dari civilem actionem. Durum est, Paulum ex sententia Dd. de civili directa & ordinaria intelligere, quasi sui ipsius immemor in eadem vocabuli significatione non permanserit.

Paulus in l. naturalis, verbo civilis sæpè utitur, & semper de civili in factum, non de ordinaria loquitur. Non rectè ergo accipiunt Fulgosius, Duarenus, & communiter Dd. Paulum de ordinaria nominata. Nam si Pauli hæc mens fuisset, non dixisset, & ideo de dolo dabitur, sed & ideo in factum dabitur innominata. Franciscus Curtius civilem actionem de ea accipit, quæ plenè consulatur actori; sed verba Pauli sunt generalia & perspicua, ut restringi nequeant, nisi adsit vel lex specialis vel ratio singularis,
quo-

quorum neutrum assert. Curtius, unde rectè ipsius sententiam improbat Corrasius lib. 2. miscell. cap. 10. n. 3. Donellus dicit non dari civilem actionem, hoc est, conditionem sine causa, si agatur, ad facti revocationem, cum factum condici nequeat, secus si agatur, ad implementum contractus, tunc enim dicit dari actionem præscript. verb. qua sententia subtilior quàm verior est. Certè vocabulum civilis actionis magis propriè actioni præscript. verb. quàm conditioni sine causa competit, & absurdum est, inquit Giphanius, Paulum omisisse his verbis, quod erat perspicuum, & expressisse illud, quod propriè huc non pertinebat. Aliiter Hottom. qui dicit Paulum ex sententia Juliani dissentire à Mauritiano. Sed quid hoc aliud est, quàm affirmare, Justinianum sibi ipsi contradicere. Omnia enim sua facit. §. sed neq. §. ff. de concept. Digest. Neq. hodiè leges, ut Ulpiani, Mauritiani vel Juliani, sed ut Justiniani exaudimus.

XVI.

Nos verba Pauli simpliciter retinebimus, & eo in casu, quo loquitur, solam de dolo actionem competere defendemus.

Qui cessat dare, posteaquàm alter manumisit, in dolo versatur: neq. enim potest sine dolo malo esse, qui alterum ad manumittendum fraudulenter inducit, & postea rupta fide conventionis dare cessat: Ergò quia dolosè agit cum manumittente, eo ipso quòd dare cessat, non potest alia actio adversus ipsum competere quàm Prætoriana de dolo. Nam dolus in contractibus stricti iuris, qualis est facio ut des, non vindicatur per actionem ex ipso contractu, sed doli actio vel exceptio semper necessaria est. Probat hęc sententia per l. cum proponas. C. de dol. mal. l. solent. ff. de præscript. verb. ibi: nisi quis dicat. de dolo actionem competere, ubi dolus aliquis arguitur: Quæ clausula ibi non assertur tantum narran-

di, ut quidam somniant, sed probandi & decidendi causa. l. 10. § II. ff. de minorib. l. dolo malo. C. de inutilib. stipulat. l. si quis. 36. ff. de verbor. oblig. Et manifestissime in l. § eleganter. § 3. ff. de dolo ubi Ulpianus dolo in traditione rei commisso distinguit inter contractum bonae fidei, & stricti juris, emtionem; Et in emptione dicit sufficere ex emto actionem, in stipulatione verò actionem de dolo necessariam esse. Dissent. variè Dd. *sc. et stipulationem.*

Glossographi, Bartolus, & omnes ferè distinguunt inter facta utilia & inutilia, ut si factum, quo aliqua utilitas afferatur adversario, detur civilis in factum, si nulla, de dolo. Rationem afferunt, Quia actio prescript. verb. nititur equitate, Ergò tanquam filia equitatis se non exhibet, ubi nihil adest adversario. Imò nititur potius causa civili, quam equitate, datione scilicet aut facto sine synallagmate. Tantùm Prætoriarum actionum quedam, inquit Goveanus, nituntur equitate naturali, non tamè sine aliquo colore civili. Præterea in l. cum proponas, ex qua desumunt fundamentum hujus distinctionis agitur de facto utili, ut rectè demonstrat Corraf. 2. miscell. 10. & tamen datur actio de dolo. Giphano. distinguit, utrum contractus incertus similitudinem aliquam habeat cum certo, an non habeat. Ex similibus actionem prescript. verb. tanquam ex causa civili, ex dissimilibus, de dolo vel in factum Prætoriam nasci. Articulum autem facio ut des, nulli negotio civili comparari posse dicit, quod idem sentit Cujac. ad l. naturalis. §. quod si faciam, de presen. verb. & ad l. 7. de pact. Sententia hæc magnò quidem nititur ^{colore} equitate, sed juris ratione destruitur. Non enim similitudo negotij est causa actionis, sed synallagma hoc est, factum & conventio. Nec in articulo facio ut des tale negotium geritur, quod nulli contractui certo assimilari possit: Nam quamobrem sit civile negotium, si nauta onus unum accipiat ut decem vehat, non sit autem si decem vexerit, ut unum accipiat? Cur contractum synallagma sit, si dem tibi unum ex meis

Insu-

In silis, ut alteram reficias, non sit autem, si unam ex tuis refeceris, ut mihi alteram des? l. i. §. i. & 2. ff. de action. emt. Iam diu, inquit Hortensius, pudet me huius rationis. Ideò hic non competere actionem Praeser. verb. quia hæc species nullius certi contractus similis sit; hoc perinde est, ac si arbores ideò non esse animalia dicerem, quòd hominibus similes non sint, quasi non aliter animal futurum sit, quàm si homini simile sit: aut si brutum non idem sit animal, quia homini simile non sit. Sed ille etsi gloriatur, hunc locum sibi ab omnib. interpp. explicandum relictum esse, nihilo tamen felicius se expedit: Dicit enim ideò hic non dari civilem actionem, quia causa non subsit: quasi verò datio vel factum sub certa lege non sit causa obligationis, unde civilis oriatur actio. Fulgosius præceptorem secutus Castellionem de dolo dat, si dolus subsit, si non subsit, in factum civilem. Et hanc sententiam sequitur Corral. 2. miscell. cap. 10. Contius. cap. 13. disput. jur. civ. Duarenus ad l. 7. §. 2. de pact. cui in tantum probatur, ut eam etiam in reliquis tribus articulis admittat, & actionem de dolo cum præscript. verb. concurrere posse asserat. Sententia hæc etsi à juris ratione non sit aliena, tamen simpliciter accepta non subsistit. Nam quod Duarenus putat, actionem doli posse concurrere cum præscript. verb. actione, ita ut actor habeat electionem, utram intentare velit, id repugnat Edicto Prætoris de dolo malo: ubi non conceditur iudicium doli, quando alia actio superest. Sententia Contij plus habet veritatis; sed rationem affert particularem: Quod enim ideò dolo interveniente actionem de dolo concedit, quia conventio mala fide & dolo inita ne obligationem quidem naturalem ex consensu pariat, sed tantum actionem de dolo ex æquitate, ne dolus impunitus maneat, illud procedit tantum in contractibus bonæ fidei, quos dolus conciliat, non autem stricti juris, ut est factio ut des. l. si quis. & ibi Cujac. 36. ff. de verb. obligat. l. 5. C. de inutilit. stipulat. l. 9. C. de contrah. stipulat. Goedd. de contrah. stipulat.



Mat. cap. 3. concl. 7. num. 92. & 114. Donellus distinguit, utrum agatur ad implementum contractus, an ad facti revocationem: priori modo præscr. verb. actionem siue dolus arguatur, siue non posteriori quia nulla potest dari conditio, facti de dolo concedit. Prius distinctionis membrum cum verbis & ratione LL. non convenit ut patet ex hæcenus dictis. Neq; etiam subsistit posterius quod patet tanti viri dixerim. Nam etsi agatur ad factum revocandum, quia tamen factum infectum fieri nequit. l. 12. §. 2. de capt. & post lim. revers. ideoq; per consequentiam ad nihil aliud agitur, quam ad illud, quanti actoris interfit, se non manumisisse. Illud interesse autem potest consequi præscr. verb. actione, Ergò non dabitur subsidaria de dolo. Aliter Alciatus, qui tamen à seipso dissentit, & tercio variavit, ut videre est ad l. Labeo. de V. S. l. càm mota. C. de transact. lib. 2. paradox. cap. 17. quemadmodum eum hoc nomine perstringit. Coras. lib. 2. miscell. cap. 10. num. 2.

XVII.

Articulus facio ut facias, quamvis interdum mandato nonnunquam commodato similis sit, differt tamen ab ijs: unde ex eo non actio nominata, sed præscr. verb. datur.

l. 5. §. 4. h. tit. si pacti sumus, ut tu à meo debitore Carthagine, ego à tuo Romæ exigam, mandatum quodammodo intervenisse videtur, sine quo pecunia exigi alieno nomine non potest. Egre ditur tamen hoc negotium notissimos mandati terminos, ejusq; naturam; Neq; enim, qui mandatum alienum exequitur, id ~~non~~ suis sed domini sumptibus facit. l. si quis. §. penult. ff. mandat. leg. 1. & 4. C. eod. Hic à pari pecuniâ sumtus compensantur. Et quod plus ab altero impensum fuit, repeti nequit. Cujac. ad l. naturalis. de præscr. verb. Hortens. & Anton. de Padil. ad d. l. naturalis. §. 4. Bellon. 1. supput. 6.

Est

XVIII.

Est autem præscriptis verbis actio nuda & simplex, nullo proposito actionis nomine ejus, quod in conventionem deductum est, petitio recepta in ijs contractibus, quorum appellationes nullæ jure civili sunt proditæ.

Donell. de præscript. verb. cap. 21. l. 1. 2. l. 3. 5. §. 1. h. tit. l. 1. de æstimat. action. l. 7. §. 2. de pact. Ratio notationis est in l. mota. 6. C. de transact. quia rem gestam præscriptis verbis demonstrat Cujac. ad tit. Instit. de locat. & conduct. Hottom. in conject. de præscript. verb. mavult legere præscriptis verbis, & hanc rationem habet: has in factum civiles ad differentiam veterum solennium & usitatarum actionum, quæ notis tantum designabantur, veluti A. T. M. D. O. plenè & integris verbis perscriptas fuisse, neq; certa & compendiosa formula, ut illas antiquas, sed disertè, plenè ac dilucidè factum exposuisse. Et hanc suam rationem confirmat multis argumentis. Sed prior opinio ipsis LL. verbis fundatur. Aliter Duarenus ad l. 7. §. quinimò. de pact. Vocatur hæc actio etiam in factum, quia verbis est præscriptis seu compositis in factum, quasi dicas in rem gestam, & id, quod factum est. l. 1. l. si vir. l. si tibi rem. §. ult. l. duo. l. Titius. hoc tit. Civilis ad differentiam Prætorie. l. 7. §. 2. de pact. l. 1. §. 15. h. tit. Donell. de P. V. cap. 23. n. 3. utilis ad differentiam directæ. l. 6. C. de transact. l. antepen. de negot. gest. §. ult. Inst. de L. Aquil. incerti. l. 6. 8. 9. de P. V. l. 7. §. 2. de pact. Condictio incerti l. 19. §. 2. de precar. quia datur ex contractu incerto, & persequitur id, quod interest. l. 5. §. 1. h. tit. l. si pœnam. 68. de verb. oblig. l. 6. C. de rer. permut. l. 3. C. de inutilib. stipulat. Cujac. ad l. 7. de pact. An hæc actio præscr. verb. ^{ut} do ut facias, vel facio ut facias, ~~datur~~ ita in do ut des, vel facio ut des ^{debet} in id, quod interest, contra juris regulam vide Donell. de P. V. cap. 23. n. 10.

Datur



XIX.

Datur ergò hæc actio ex iis solummodò contractibus, quorum appellationes jure civili proditæ non sunt, aut de quorum nomine ambigitur. Ergò non ex pactis in continenti adjectis, nec ex sequestro.

l. 1. 2. 3. 5. 6. 13. 17. 18. 19. & 24. h. tit. l. 1. de aestimat. l. 44. pro socio. Duaren. ad l. 7. de pact. Donell. cap. 2. de prescript. verb. Arumæus disp. Pand. 13. th. 13. Ex pactis in continenti adjectis competit actio ex ipso contractu, non prescript. verb. Sunt enim partes contractus, & ijs accedunt: Unde quia contractus principalis unam tantum actionem producit, nec ex ijs dabitur duplex: ne plus sit in accessorio, quàm est in principali. Et quorum confugiamus ad utilem actionem, si competit directæ. l. 2. & 3. de P. V. l. si fundus. 4. de leg. commissor. l. 6. de rescind. vendit. l. 72. l. 75. l. 79. de contrah. emtion. l. 6. §. 1. & 2. l. 11. §. 6. l. 21. §. 4. de action. emt. Connan. 5. comm. 2. Arumæus disput. de pact. th. 8. Donell. in tract. de P. V. cap. 2. Forster. de pact. cap. 8. part. 2. memb. 1. Rein. Bachof. lib. disput. miscell. cap. 10. Cujac. ad l. 7. §. quinimò. ff. de pact. Heidec. de P. V. th. 30. Dissentit Duaren. ad l. 7. §. quinimò de pact. Fachin. lib. 2. controu. 98. Bart. & Castrens. ad l. in bona fidei. C. de pact. per l. 2. C. de pact. inter emtionem & venditionem. l. si vir. de P. V. L. Labeo. 50. de contrah. emt. l. si convenit. 6. de rescind. vendit. Sequestrum species depositi est, unde sufficit actio ex ipso contractu depositi. l. 5. §. 1. l. 6. l. 12. §. 2. 17. ff. deposit. Donell. cap. 2. de P. V.

XX.

Differt P. V. actio ab actione in factum civili, quam non P. V. quidam vocant, ut & ab actione in factum Prætoria, quod illa citra conventionem ex mente & inter-

interpretatione legis, hæc verbis & mente legis cessante à Prætoze vel adjuvandi, vel supplendi juris civilis gratiâ accommodetur.

Actio civilis vel est directa sive ordinaria vel extraordinaria. Directa est, quæ ipsis verbis & oratione legis extraordinaria, quæ vel ex mente & sententia legis vel ex contractibus incertis competit. Priori modo vocatur actio utilis, interdum in factum civilis, sed rarius. l. penult. si quadrup. pauper. feciss. l. 46. de hered. institut. l. 22. §. 10. in fin. Mandat. Posteriori plerumq; vocatur actio in factum civilis, actio P. V. interdum condictio incerti. Prætoriaz vel est ordinaria, veluti Constitutoria, Exercitoria, Institoria, Serviana, quod metus causa, vel utilis ad exemplum priorum instituta, cujusmodi est actio utilis, quæ ad exemplum institoria dari dicitur. l. pen. de instit. action. item utilis constitutoria. l. 5. §. pen. ff. de constit. pecun. Vel subsidiaria. Et hæc vel est subsidiaria actionis civilis L. Aq. §. fin. de L. Aquil. l. quia actionum. de P. V. vel subsidiaria actionis Prætoriaz de dolo. l. 11. de dol. mal. Possunt quidem omnes Prætoriaz respectu civilium subsidiaria, item extraordinaria vocari, sed tamen melioris doctrine gratiâ nihil prohibet, quin ita discernantur. Aliter Contius lib. 1. disput. jur. civil. cap. 13. in fin. Hottom. in conject. de P. V. Matth. Steph. vol. 1. part. 3. disp. 4. th. ult.

XXI.

Actio præscript. verb. an bonæ fidei sit, an stricti juris, controversatur? Nos duplici in casu eam bonæ fidei esse statuimus, quando de æstimate proponitur, & ex permutatione competit, In reliquis eam stricti juris esse putamus.

D

An bo-



An bonæ fidei vel stricti juris actio sit, non ex hominis iudicio, sed ex legis potestate dependet, cuius solius est actionem vel bonæ fidei vel stricti juris constituere, ut de dote scimus, & hereditatis petitione, quæ hodie ex constitutione Iustiniani bonæ fidei facta sunt. §. actionum. §. fuerat. Inst. de action. Quia itaq; actio P. V. tantum in duobus propositis casibus inter bonæ fidei iudicia connumeratur, necessariò sequitur, in reliquis eam stricti juris remanere. d. §. actionum. ubi Imperator definitivè loquitur, & omnes actiones bonæ fidei enumerat, nec ut quidam putant, exemplis tantum rem declarat. Nam aliàs unam atq; alteram tantum proposuisset actionem, quod solemus facere exemplis rem demonstraturi.

Dissentit Hottom. in conject. de P. V. Dissentit etiam Paul. Bûf. 2. subtil. 6. ubi novè ad hoc obtinendum ponderat. l. Titius. ff. de P. V. in qua lege in contractu innominato usura ex nudo pacto deberi dicuntur. Sed hæc ratio non constituit bonæ fidei iudicium, Nam & actio ex testamento habet se instar bonæ fidei quoad fructus & usuras. l. Titio Sejo. 87. §. usuras. ff. de legat. 2. Et tamen constat eam stricti juris esse. Schneidevv. d. in l. num. 9. Bart. ad l. si heres. 5. ff. de eo, quod cert. loc. vide aliter dissentientem Hortensium ad legem naturalis. §. at cum do. de P. V.

XXII.

His ita enucleatis, concludemus disputationem nostram cum quæstione illâ, an transactio sit contractus nominatus vel innominatus, an nudum pactum? Statuimus neq; pactum neque contractum esse, sed actum quendam, quo lis deciditur, vel contractu nominato, vel innominato, vel pacto.

l. 2. l. 4. de transact. l. 6. C. eod. Quæ distinctione adhibita rectius fortè, quàm hacten⁹ factum est. l. si institut. a. 27. ff. de inoff. testam. cum d. l. cum mota. 6. C. de transact. conciliabitur. Nam in d. l. 27. quere-

querela inofficiosi ideò integra est, quia transactio nudo pacto in-
ita erat. Nudum pactum autem non parit actionem. Ex quo solo
axiomate harmonia & dependentia principiorum juris pulchrè ap-
paret.

QVÆSTIONES.

1.
An aestimatio transferat periculum in accipientem?
2.
An l. 2. C. de rescind. vendit. in permutatione locum
habeat?
3.
An de jure Canonico pactum pariat actionem?
4.
An etiam jure Canonico in contractibus innominatis
pœnitere liceat?
5.
An actio præscript. verb. habeat locum in precario?

F I N I S.



emigmate qle in hac tuta in dem.

par. s. no totat p fice in m m

[Faint, illegible text]

QUESTIONES

An ratiocatio naturalis sit in seipsum?

An l. c. de rebus vend. in permutatione locum habeat?

An eorum Canonice psum psum?

An etiam iure Canonico in contractibus ineminis potuerit licet?

An adio psum. verb. habeat locum in psum?

F I N I S



Handwritten text at the top left edge of the page.

Handwritten text at the top center edge of the page.

01 A 6518

ULB Halle 3
 002 937 514



VD 17

Reise ✓

Handwritten text at the bottom center edge of the page.



Handwritten marginal notes in the left margin, including a large initial 'S' and several lines of text.


Main body of handwritten text in a Gothic script, arranged in a single column. The text is dense and includes several large initials in red and blue.

Handwritten marginal notes in the right margin, including the number '21'.

Large handwritten number '1533' in the right margin.

Handwritten marginal notes in the left margin at the bottom of the page.





Farbkarte #13

B.I.G.

DISPUTATIO,
AD L. NATURA-
LIS, DE PRÆSCRIPTIS VER-
bis, & in factum actionibus.

Quam

A.C.

PRÆSIDE

Clarissimo ac Consultissimo Viro
"Philosophiæ et I. U. D.
Dn. IOHANNÈ CURTIO, Professore
publico, & facultatis Juridicæ
assessore

Defendet in illustri Lipsensium Academia

Ad diem 27. Iunij

IOHANNES à DISKAU Nobil. Misnic.

Imprimebat Christophorus Bismarcus, Anno 1612.